

cœpisset: procedente tempore Andoini regis ductu in Panoniam venire: hinc Alboinum ejus filium secuti, anno octavo, postquam eo ventum erat, ac tricesimo, in Italiam irrupere: ubi eorum opes eousque creverunt, ut annos ducentos & amplius in ipsa terra rerum sint potiti. Horum itaque interventu factum est, ut omnis continentis ora, Venetiæ cum libertate nomen amiserit, atque iis Venetis, qui insulas incolebant, præscripti fuerint fines, a loco qui *Caput aggeris* hodie dicitur, ad Gradatas usque aquas. Auctor rei est Paulus Diaconus Longobardicæ historiæ scriptor.

Nunc quia res Venetas orsi sumus, cætera ipsius gentis gesta, præter pauca quæ ad susceptam historiam pertinere videbuntur, consulto missa faciemus. De iis igitur, quæ communi nomine a Venetis in ipsa quoque infantia ante Longobardorum adventum gesta sunt, ordine edifferam: quorum omnium illud antiquissimum esse ajunt, unde futuram maris potentiam fœlicissima expeditione auspicati videntur. Infestabant Histri & Dalmatæ maritimis latrociniis novæ civitatis statum, nec tuti quicquam insulans ab illorum incurfibus esse poterat. Id ne odio facerent, quia ægre ferrent tantam molem, quanta futura apparebat, proximo sibi loco crescere, an quia vetus id gentis vicium esset maritimo cursu maria infestare, parum compertum habeo. Fuerunt ea tempestate qui crederent, Tergestinatorum suafu id factum, quibus novæ urbis successus præ ceteris erant suspecti. In hos communi nomine moverunt Veneti, quos alto mari affecutos acri prælio vicere, victosque, fractis præsentis clade animis, toto mari prorsus abstinere coegerunt. Ludi annui Divæ Virginis ea pugna voti dicuntur: quanquam ludorum causam diversam quidam esse tradunt, atque longe recentiore. Patrii moris fuisse ferunt, ut virgines in templo desponderentur, quo omnis earum supellex cum apparatu dotis delata publice ostentaretur: forte accidit, ut quum in æde divi Petri (quæ in parte urbis nunc sita est, quod *Castellum* dicitur) sponsalia celebrarentur, Tergestini, qui jam palam hostes facti erant, duabus triremibus nocturno cursu ex alto proxima urbi loca tenuerint. Mane vero cæremoniarum hora

568

*Auspiciâ
dominiæ
maris.*

*Ludi Ma-
riani.*